



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput V. Ex Concilio a Guarmarciensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

bis: *Si postea per penitentiam emendati.* Et ibi: *Damnabiliter.* Quæ verba ostendunt, occisorem peccasse; peccare autem non potuit nisi excedendo defensionis modum. Quo modo etiam accipiendum est Concil. Trid. sess. 14. de reform. p. 7. in illis verbis: *Si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defendat, fuisse commissum narretur, quare quodam modo dispensatio jure debeatur.* &c. Necessariò enim textus hic intelligendus est de homicidio culpabili, quando videlicet defensio non est pura, sed transit in aggressionem; quod facillè, & sæpiùs contingit. Unde apud Gentiles homicidium necessarium expiabat per manuum abluionem: probat Mornacius ad l. 3. ff. de just. & jure: ideoque affirmant Patres, in eo canone dispensationem quodam modo jure deberi, quia homicidium non voluntarium simpliciter, sed necessarium, etsi non servato moderamine inculpatae tutelæ, admissum fuit. De eodem etiam homicidio ob defensionem etsi non putam, perpetrato, accipiendi sunt textus in cap. si quis viduam, 50. dist. in illis verbis: *Similiter si homicidium, aut factò, aut praecepto, aut concilio, aut defensione.* Et cap. 2. in fine, de clericis pugnant. in duel. quo modo autem moderamen inculpatae tutelæ consideretur circa modum, tempus, causam, factum, exponunt P. Caballus de homicid. numer. 93. Capola consil. cri-

min. 41. Jul. Clarus lib. 5. sentent. 8. homicidium, num. 34. Guazinus in defension. reor. cap. 4. noviter Basilio decis. 16. criminali.

Ex supra traditis lucem accipit textus in can. 55. epist. D. Basili ad Amphiloeb. in illis verbis: *Qui se latronibus adversos, obiciunt, si sint quidem extra Ecclesiam, ab omni communione arcentur, si sint autem clerici, à gradu deponuntur; quicumque enim, inquit, gladium accepit, gladio peribit.* Cùm enim in eo canone agat D. Basilius de illis, qui se latronibus oppoluerunt sponte, non verò ab eis in necessitate adducti, homicidium perpetrarunt; ideo ut veris homicidii poenitentia imponitur, aliàs si homicidium contingeret juxta supra tradita, cùm fur nocturnus erat, vel diurnus, & telo se defendebat, poenitentia non imponeretur. Eodem etiam modo intelligendus est textus in cap. quicumque 33. 23. quæst. 8. ubi D. Augustinus ita ait: *Qui verò sine aliqua publica administratione, maleficium, furem, sacrilegum, & adulterum, vel quemcumque criminiosum interfecerit, aut truncaverit, vel membris debilitaverit, vel homicida judicabitur.* Ubi D. Augustinus agit de eo, qui furem occidit privata autoritate, non pro defensione propria, sed potius ipsum aggressiòne, nulla necessitate coactus.

CAPUT IV.

Hieronymus.

Cum juramento pollicitus est Herodes saltatrici dari quodcumque postularet ab eo: si ob jusjurandum se fecisse dicit, si patris, matris interitum postulasset, facturus esset, an non? Quod ergo in suis repudiaturus fuit, continere debuit in Propheta.

NOTÆ.

I. ^a Hieronymus.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 6. & apud Burchardum lib. 12. Decreti, cap. 16. Carnotensem part. 12. cap. 73. ubi rectè adjicitur in cap. 14. Matthei; nam cùm divus Hieronymus exponeret Evangelium ipsum Matthei cap. 14. ubi refertur juramentum præstitum ab Herode, & adimpletum

in nece D. Joannis Baptiste, verba in præsentem transscripta adducit, ex quibus communiter repetentes in præsentem deducunt, sub generali promissione, quantumvis jurata, non venire illicitum: quod axioma variis auctoritatibus firmat Gratianus caus. 22. quæst. 41. per tot. & latè illustravit Præceptor Petrus Bajo-Arroyo in repetit. ad textum in cap. Quintavallis, de jurejur. ex quo commentarium hujus textus petendum est.

CAPUT V.

Ex Concilio a Guarmaciensi.

SI aliquis causam explendæ libidinis vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non posset generare, aut concipere, ut homicida teneatur.

NOTÆ.

^a Guarmaciensi.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. final. Burchardus verò lib. 17. Decreti, cap. 57. citat verba hæc ex Concilio Vornat. can. 30. de quo Concilio nonnulla adduxi in cap. 1. de censib. cap. 1. de divort. etiam extat textus hic in poenit. Romano, tit. 1. cap. 3.

^b Libidinis.) De poculo à marito explendæ

libidinis causâ dato agemus infra.

^c Odii.) Sunt etiam pocula odii, de quibus habes duas declamationes post institutiones Quintilianiani 14. & 15.

^d Soboles nascatur.) Hæc verba ut diversum casum continent ac antecedentia, intelligi posse credo de illo maleficii genere, quo partus ultra legitimum & naturale tempus protendebatur, cujus impiæ pravitatis à saga perpetratae habemus testimonium apud Apuleum lib. 4.

lib. 4. de asino aureo, illis verbis: *Amatoris sui uxorem, quod in eam dicacule probrum dixerat, pregnationis sarcinam, obsepto utero, & repugnato factu perpetua pregnatione damnavit: & cum ei numerant misella illa octo annorum onera, velut elephanum paritur a distunditur.* Extat etiam lepida narratiuncula, quæ hanc rem comprobat, & illustrat apud Paulianiam in Bæticis, his verbis: *Farmacidas Thebani à Junone missas ajunt, ut parturienti Alcimena impedimento essent; sed eas dum Alcimena partum inhiberent, à Theresia filia Historide tali commento delusas. Ex eo namque loco, unde illa facile audire possent, clamavit peperisse Alcimenam: illas ex voce deceptas statim abisse. Alcimena igitur puerum enixa est.* Eadem industria elulæ fuerunt præligiæ magicæ, quibus inferebatur dilatio partus uxoris Ildephonii XI. in chlyi Castellæ Regis, Lusitanæ Regis filix, à Leonora Guzmanienfi, quæ dum Ildephonii amore flagraret, ejusque jamdiu vacaret libidini, verrebatur ne forsân liberis ex uxore editis, communi voto adimpleto, quod asperiorum conjugum jurgia sedare solet, frigeret erga eam, & ejus filios amor veteri consuetudine firmatus. Quod ex historicis nostris constat, & narrat facerè Comes de la Roca in libro vernaculo idiomate scripto, *Rey Don Pedro defendido.* Si autem quæras, quo veneficii genere magicæ partum differrent, illud certò narratur, quod ad fores puellæ residerent, & poplitem popliti imponent, digitosque manuum pectinatim converterent. ideo Ovidius 9. *metamorph.* ipsammet Junonem hoc incantatorio habitu infensum Alcimenæ partum describit sustinisse his verbis:

*Vique meos audit gemitus, succedit in illam
Ante fores aram, dextrosq; est poplite levum
Pressa genu, digitisq; inter se pectine junctis,
Sustinuit partus.*

De hoc modo connectendi digitos, plura Plinius lib. 28. cap. 6. quod etiam veneficium est impediendis actionibus aliorum. Tunc sic ad rem nostram Plinius prædicto loco: *Item poplites alterius genibus imponit: tantam hac in re in comitiis ducunt potestatem fieri, ut veterint majores, & sacris, votisve simili modo interesse.* Minus quàm solet sedulus hæc verba Plinii examinavit Alex. Neapol. *dier. genial. lib. 4. cap. 11.* illustrat P. Pinto in *specul. tractat. 1. cap. 29. numer. 10.* Sed unde homicidium? Ex eo quippe, quod impedito partu, & ultra legitimum tempus detento, accidit casus, ut in utero moreretur fœtus, & ita homicidium consideratur à Patribus in præsentem. Et si hæc interpretatio non placeat, facilius erit, quæ accipit hæc verba de illis incantationibus, & poculis, quibus fœtus animati abigebantur, ita ut vivi nasci nequirent.

e Homini.) Maleficiis eum ligando, ut probavi in cap. 4. de frigid. & maleficiat.

COMMENTARIUM.

² *Concilia in tra-*
ditur &
probatur.
EX hoc canone Concilii Vormat. sequens communiter deducitur assertio: *ut homicida puniatur, qui homini, vel mulieri poculum dedit, ut generari, vel nasci soboles non possit.* Probant eam textus in cap. *consuluisi 2. quest. cap. aliquando, cap. quod verò 8. cap. Moyses 32. questione 2. cap. nasci, 56. diff. Concil Brachar. 2. can. 77. ibi: Si qua mulier fornicata fuerit, & infantem, qui exinde fuerit natus, occiderit, & quæ D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.*

studuerit abortum facere, & quod conceptum est, necare, aut certè ut non concipiatur, elaborat, sive ex adulterio, sive ex legitimo conjugio, has tales mulieres in morte recipere communionem priores canones decreverunt. Nos tamen pro misericordia sive tales mulieres, sive conscias scelerum ipsarum, decem annis agere penitentiam judicamus. Illerdense can. 2. *His qui malè conceptos ex adulterio fœtus, vel editos necare studuerint, vel in uteris matrum potionibus aliquibus colliserint, in utroq; sexu post septem annorum curricula communio tribuatur: ita tamen, ut omni tempore vitæ sua stentibus, & humilitati insistant.* Concil. Illiber. can. 63. *Nec in finem detur communicio ei, quæ absente marito conceperit, & conceptum occiderit.* Et can. 68. *Catechumena, si per adulterium conceperit, & conceptum necaverit, placuit eam in sine baptizari.* Anchyranum can. 21. *Quæ fornicantur, & necant partus, & curant fieri abortus, priori definitione ad exitum vitæ, humanius nunc agendo, decem annis per gradus peniteant.* Trullan. cap. 92. *Eas, quæ dant abortionem facientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena excipiunt, homicida pœnis subijcimus.* Vormac. can. 35. *Mulieres, quæ ante temporis plenitudinem conceptos utero infantes voluntate excutiunt, ut homicida proculdubio judicanda sunt.* Mogunt. sub Leone IV. can. 21. *Sixtus V. in sua constitutione 87. Gregor. XIV. constit. 14. D. August. qu. 80. super Exodo, & in Enchir. ad Laurentium can. 86. & contra Julianum lib. 6. cap. 5. D. Hieronym. in epist. ad Pammachium D. Greg. Nyssenus de homine cap. 29. & 30. D. Chrysof. homil. 12. & 13. in Genesim, D. Ioannes Damasc. lib. 2. de fide orthodoxa, cap. 12. Alia Conciliorum Decreta, & Sanctorum Patrum responsa congesterunt Decretistæ, Carnotensis part. 8. cap. 314. & part. 10. ex cap. 181. Buchardus lib. 17. Decret. ex cap. 54. Ant. August. lib. 35. epist. jur. tit. 1. part. 3. & Crespetius in summa verbo Abortus. De jure civili probant textus in l. si quis aliquid, §. abortionis, ff. de pœnis, l. ejusdem 3. §. 2. l. si mulierem 8. ff. ad leg. Corn. de sicar. l. 3. Cod. eod. tit. l. 4. ff. de extraordin. crimin. l. Divus 5. ff. ad leg. Pompejam, l. 1. Cod. de malefic. Consonant lex 1. tit. 3. lib. 6. legum Visigoth. tit. 7. §. 18. legum Bajubar. lex 7. tit. 8. part. 7. Illustrant ultra congestos à Barbosa in præsentem, & lib. 1. voto 12. Solorzanus de parricid. lib. 2. cap. 12. Petrus Gregor. lib. 4. partit. tit. 13. cap. 2. Petrus Herodius lib. 8. Pandect. tit. 5. cap. 12. Mendoza lib. 3. Concil. Illiber. cap. 52. Salmut. ad Pancirol. lib. 1. tit. 46. Lindembrog. in Glossar. verbo Abortus. Meril. lib. 1. observ. cap. 16. Menardus in notis ad Sacram. D. Gregorii, fol. 252. Simon Majol. *dier. canicul. verbo Saga. fol. 480.* Castellion *variæ lection. cap. 41. tom. 4. Scortia in select. Pontif. constit. epist. 146. theorem. 376.* D. Joannes Ramos de pœna parricid. lib. 7. nr. 103. Guibert. Costanus 99. jur. quest. 1. Moralistæ apud Hieronym. Garciam tom. 2. summa, tra. 10. difficult. 15. dub. 4. punct. 2. Gibalinus de censur. in synop. verbo Abortus Paulus Zacchias lib. 1. 99. medico legal. tit. 2. quest. 9. & 10. Mornacius in l. 9. ff. ad leg. Aquil. Amaya libr. 3. observ. cap. 1. §. 3. Gothofred. in l. 1. Cod. Theodos. de sicar. Bronchorst. *enantioph. cent. 4. assert. 84.* Theophilus Raynaud. tom. 1. 4. tractat. de sect. Casarea, cap. 10. per tot. Beyerlinch. in theat. vita humi. tom. 1. verbo Abortus.*

Sed in præsentem assertionem ita illustratam, pro dubitandi ratione insurgo. Plus est veneno Impug. occidere, quàm gladio, leg. 3. Cod. ad leg. Corn. natur. de sicar. leg. 1. Cod. de malefic. quia tanto graviora tradita sunt assertio

sunt crimina, quantò difficiliùs caventur. Cicero pro Roscio Amerin. Igitur severiùs, graviùsque debet puniri, qui poculo aliquem occidit, quàm si gladio interficeret. Deinde difficilis est præsens textus in ea parte, dum æquiparat propinquantem venenum, ut foboles nasci non possit, cum eo qui poculum dedit, ut generari nequiret; ita ut ambo tanquam homicidæ teneantur, nam homicidium à cæde hominis dicitur. *cap. homicidium de pœnis, distinct. 1. cap. homicidium, de pœnis dist. 5.* quia homo non dicitur sine anima, *cap. in quadam, de celebrat. Missar. c. cum juxta, de heretic. in Falcidia, §. placuit. ff. ad leg. Falcid.* Igitur non potest ut homicida puniri, qui poculum dedit, ut generari, aut nasci foboles non posset, ut probat Carranza de partu c. 1. §. 2. & c. 16. §. unic. Et ita simile poculum propinquantem non manere irregularem, docent Trocius de perfectio clerico c. 14. n. 6. Covarr. in Clement. si fruosus. p. 2. §. 3. Igitur non rectè in præsentem asseritur, ut homicidam eum puniri. Difficile etiam est, quod in præsentem docetur, videlicet abortum facientem, seu procurantem, ut homicidam teneri; nam quæ abortum fecit, aut poculum propinavit ad illud faciendum extra ordinem punitur, l. 4. ff. de extraordin. cognit. l. 3. §. 2. l. si mulierem 8. ff. ad leg. Cornel. de sicariis, ibi: *Si mulierem visceribus suis vim intulisse, quo partum abigeret, consiterit, eam in exilium præsens provincia exigit.* Igitur quia non ut homicida tenetur, nec punitur pœnis ordinariis.

4. Quæ dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, poculum plerumque dari abortus causâ, de quo Plautus.

*Metuebatque illa ne sibi persuaderes
Vi abortioni operâ daret, puerumq; ut necaret.*
Juvenal. satyr. 6.

*Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt
Quæ sterilem facit, at que homines in ventre
necando.*

Ovidius lib. 2. amor. eleg. 4.

*Quæ prima instruit teneros avellere fetus,
Malitiâ fuerat digna perire suâ.
Vestra quid effoditis subiecta viscera telis,
Et nondum natis dira venena datis.*

Et plerumque ab ipsis matribus sumuntur, ut latè probat Theophilus tom. 14. de ortu infantum, cap. 10. De his poculis ad procurandum abortum agunt Patres Synodi Ancyr. c. 21. Dioscorides lib. 2. c. 80. & lib. 5. cap. 19. Plinius lib. 14. cap. 16. ex eis Gibalinus de negot. tom. 2. lib. 6. cap. 9. art. 2. num. 4. Cujac. 19. obs. cap. 9. Deinde poculum amatorium frequenter datur explendæ libidinis causâ, l. 3. §. 2. ff. ad leg. Cornel. de sicar. & nihil adeo frequentius in fœminis, quàm superstitionibus, ac veneficiis libidinem fovere, ut prægnationis periculo sublato, ad libidinem faciliùs allicerentur. Seneca in Hercule fur. act. 2. ibi: *Magicis artibus ferè conjugia nupte precibus admissis ligant.* Lucanus.

Quos non concordia mixti

*Alligat ulla thori, blandæque potentia forma,
Traxerunt torti magicâ vertigine sili.*

5. Et qui vehementer turpi voluptate capi se sinunt, ut arctius illigentur, & indissolubilibus vinculis constringantur, solent amori addere veneficia, ut etiam in vitiiis quis magicis artibus ad amorem trahatur, Synodus Regiaticina, ut vulgò appellatur, can. 25. *Quia pestiferas adhuc stirpes, & reliquias artis magica in tantum vigere ad nos perlatum est, ut quadam malefica illicitum amorem alio-*

rum mentibus, aliis verò odium immittere dicantur; quædam etiam ita venenaria sunt, ut quosdam peremisse multo populi rumore deferantur: huiusmodi diaboli ministras diligenti examinatione proditas sub acerrima pœnitentia redigendas statuimus, & in ipso tantum exitu, si tamen prius pœnitentia opera fecerint, reconciliandas esse permitimus. Virgil. lib. 4. *Aeneid.*

*Hæc se carminibus promittit solvere mentes,
Quas velis, & aliis duras immittere curas.*

Horatius:

*Canidia cogit veneficiis Varum ut se amet;
At vos ut reddas, quibus est fallacia luna,
Et labor in magicis sacra piare focis.*

Juvenalis satyr. 6.

*Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit
Philtrea, quibus valeant mentes vexare mariti.*

Potiones istæ amatoriarum ex illicitis rebus à sceleratis, & veneficiis mulieribus plerumque conficiuntur, qualem Veiam describit Horatius, quæ immerentem puerum interemit.

*Exerta uti medulla, & aridum secur
Amoris esset poculum.*

Idem Canidiam veneficam inducit, quæ cum Varo poculum amoris dedisset, eo alterius carminibus soluto, dixit:

*Majus parabo, majus infundam tibi
Fastidienti poculum
Priusque calum sedit inferius mari,
Tellure porrecta super,
Quam non amore sic meo flagres, uti
Bitumen a tribus ignibus.*

Sed & Ovidius lib. 1. amor. Lenam quandam sic describit.

*Ille magas artes, technas, ac carmina novit,
Inq; caput liquidas arte recurvat aquas.
Scit bene quid gramen, quid torto concitar hombo
Licta, quid valeat virus amantis equæ.*

Idem in lib. de medicamine faciei.

*Sic potius nos tanget amor, quam fortibus herbis,
Quas maga terribili subsecat arte manus.
Nec vos graminiibus; nec mixto credite succo,
Nec tentate nocens virus amantis equæ.*

Monet etenim puellas, ut magis cultum, quàm veneficiis sibi amatores parent, eorumque animos devinciant. Illud etiam notandum est, virus equinum, Hippomanes nuncupari, quod equinæ cupiditatis similem mortalibus amorem accendat, ut Collumela lib. 6. scribit. Unde Virgil. lib. 3. Georg. ait:

*Hinc demum hippomanes, vero quod nomine
dicunt*

*Pastores lentum distillant ab igne virus
Hippomanes, quod sæpè male legere noverca,
Miscueruntque herbas, & non innoxia verba.*

Juvenal. satyra 6.

*Hippomanes, crimengue loquar, coctumque
venenum.*

Privignoquoque datum.

Aristoteles lib. 6. de histor. animal. de equabus loquens ait: Tale aliquid emittunt, quod Hippomanes appellatur, eodem quo illud, quod nascitur, nomine, & hoc præcipuè ad amoris veneficia peti solet. Aliter Hippomanes pro eo accipitur, quod frontis pulli nascentis adhæret, & magnitudine caricæ, specie latiusculum, orbiculatum, nigrum; quod si quis præripiat, equa excitatur, furitque cognito illius odore, quare à veneficiis petitur, ut referunt Aristot. lib. 6. histor. animal. cap. 22. Virgil. lib. 4. *Aeneid.*

Quaritur,

*Quaritur, & nascentis equi de fronte revulsus
Est mari præceptus amor.*

Propertius lib. 4. prosequitur Tiraquel. in l. 14. conub.

6. *Esti plures crediderint, per artem magicam
amorem conciliari, ut Constantin. in l. verum, C. de
malefic. Iacob. Sprenger. in libro quem dixit Mal-
icum malefic. non desunt tamen qui huic opinio-
ni refragentur, veluti Ovidius lib. de medicam. fa-
ciei, & 2. de arte amandi, ibi:*

*Fallitur Amonias, si quis decurrit ad artes,
Datque quod à teneri fronte revellit equi.
Non facit ut vivat amor Nereidis aut herba
Mixaq; cum magicis Marfa venena sonis.*

Propertius lib. 2. eleg. 1.

*Sex mihi sunt tangenda noverca pocula Phedra.
Pocula privigno non nocitura suo.*

Quod etiam facile probari possit illustri exemplo
sanctorum Martyrum, Cypriani, & Iustinae, ut
tradit Castalian variat. lection. cap. 41. tom. 4. the-
sauri critici. Exemplis prophanis probat Tiraquel.
in dicta l. 14. conub. & magicas has vanitates sæ-
pe irridet Plinius, & nugas quorundam dicit
Harmenopol. lib. 6. promptuar. tit. 10. Alberic.
Gentil. ad l. 1. Cod. de malefic. existimat, induci hu-
jusmodi affectus posse per similia pocula ope dæ-
monum, qui humores sic aptare possunt, vel per
ipsam medicamentorum vim idem operantium,
quod demones in illa humorum aptatione. Illud
certum esse experientia docuit, per pocula hæc
amatoria plerumque mortem, aut furorem contri-
xisse. Lucilia Lucretii uxor eo poculo maritum
suum in rabiem deduxit, qui demum necem sibi
ipsi confecit, ut D. Hieronymus, & Eusebius
Cæsarensis prodiderunt. Et sanè notissimum est,
hæc pocula, quæ etiam Philtra nuncupantur, le-
thum, aut furorem inferre. Ovidius lib. 2. de ar-
te amandi.

*Nec data profuerint pallentia philtera puellis.
Philtera nocent animis, vimq; furoris habet.*

Juvenalis satyr. 6.

*Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit
Philtera, quibus valeant mentes vexare mariti,
Et solea pulsare nates: quod desipis, inde est;
Inde animi caligo, & magna oblivio rerum,
Quas modò gessisti: tamen hoc tolerabile, si non
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis.
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit.*

Quod sic narrat Suetonius: *Credetur, inquit, Ca-
lignula portionatus à Cæsonia uxore amatorio quidem
medicamento, sed quod in furorem verterit.* Et plu-
ra ea de re Josephus lib. 19. antiquit. quæ nunc li-
benter prætereo. Etiam pocula fumi solent ad im-
pediendam generationem, ut probant, & exem-
plis illustrent Martinus Delrio *disquisit. magic.*
lib. 3. cap. 4. sect. 8. Basilius lib. 1. de matrim. cap. 64.
& 65. Thomas Sanchez eod. tract. lib. 7. disput. 94.
cum duabus sequent. Bravo *resol. Medic. sect. 5. re-
sol. 12.*

7. *His suppositis apparet jam ratio præsentis de-
cisionis: nam cum certum sit tam apud Theolo-
gos, quam Medicos, factum adhuc in utero ma-
ternis existentem post animationem perfectè ho-
minem esse, cap. aliquando 7. cap. quod verò 8. cap.
Moyses 9. 32. quest. 2. Tertul. de anima cap. 37. ibi:
Ex eo igitur factus in utero homo, a quo forma comple-
ta est. Ubi Pamelius annotat. 437. Laëtantius Firm.
de officio Dei, cap. 17. Hippocrates de partu natura;
Galenus lib. speciali. An quod in utero gestatur, ani-
D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V*

*mal sit, cap. 2. cum sequent. Philo lib. 5. cap. 15.
Plato ad Plutarchum lib. 1. de placitis Philosopho-
latè & eruditè probant Carranza de partu cap. 20.
num. 2. Narbona de ætate ad actus humanos, anno 1.
quest. 1. Inde placuit eum, qui prægnanti mulieri
poculum dederit, vel quid aliud dolo, & con-
sultò fecerit, ex quo abortus sequatur, partusque pe-
reat, verè homicidam esse, & pœnis homicidæ
teneri, cap. 21. Exodi, *Isi quis necandi, ff. ad leg.
Corn. de sicariis.* Eleganter Tertul. de anima cap. 37.
ubi cum lex Exodij animam pro anima reddi ju-
bere referat, docet hoc etiam procedere in partu
animato. Similiter etiam Ecclesiæ Patres non so-
lùm abigentem factum animatum tanquam homi-
cidam damnarunt, verùm etiam sterilitatis pocu-
la, & concepti tantùm partus diffusiones, ut pro-
xima homicidio crimina execrantur, & damna-
runt, quia ut ajunt Tertul. & Minutius Felix,
tunc etiam homicidium datur: *ille in apolog.
cap. 9. ibi: Nobis verò homicidio semel interdi-
cto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis
in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homi-
cidii festinatio est prohibere nasci; nec refert na-
tam quis eripiat animam, an nascentem disturber:
homo est & qui futurus: & fructus omnis jam in
semine est.* Iste in Octavio, ibi: *Sunt quæ in ip-
sis visceribus, medicaminibus & potis originem su-
turi hominis extinguunt, & parricidium faciunt
antequam pariant.* Quare rejecta communi distri-
ctione factus animati, vel non, hujusmodi sce-
lera prohibentur. D. Basil. in epist. ad Amphilo-
loch. cap. 2. ibi: *Quæ de industria factum corrumpit,
cædis pœnas luat; formati, vel in formis subili-
tatis à nobis non attenditur.* Hic enim non solum
quod nasciturum fuit, vindicatur; sed etiam ipsa,
quæ sibi insidias paravit, quoniam ut plurimum e-
jusmodi inceptis, unà quoque mulieres intereunt.
Ubi sanctus Basilius non solum expendit homici-
dium, quod sæpius accidere solet, viri, vel fœminæ,
cui poculum propinatur, ut etiam docetur in l. si
quis, §. abortionis, ff. de pœnis. Nec interest, quod
qui poculum dedit, animam non habuit occiden-
di; nam cum rem pessimi exempli fecisset, periculum
prænocere debebat, & ideo plecti debet, c. final.
hoc tit. Lex enim ut præclare Demosthenes ait in
l. 2. ff. de legibus, voluntarium est, & non volunta-
rium delictorum coercitio: & hæc nefaria crimi-
na variis pœnis novissimè damnarunt suis consti-
tutionibus Sixtus V. in Bulla 87. quæ incipit: *Effre-
natam*, edita anno 1586. Gregorius IV. in sua con-
stitutione 14. quas referunt, & exponunt Duardus
in Bulla cœnæ Domini: lib. 1. cap. 3. §. num. 3. Qua-
ranta in summa Bullarii, verbo *Abortus*, nu. 3. Bar-
bosa de potestate Episcopi, allegat. 51. num. 136. & al-
legat. 110. num. 20. Gibalinus in synopsi censur ar.
verbo *Aborsus*, Scortia, & Hieron. Garcia ubi su-
prâ. Rectè ergo in præsentî canone, ut homicidam
damnari debere statuunt Patres Concilii Wor-
mac. eum qui poculum dedit ne soboles nasci, aut
generari possent: licet non utroque casu qui dedit,
pœnis homicidæ teneatur, ut statim dicemus.*

8. *Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, nam
in præsentî textu non agitur de occidente homi-
nem jam natum veneno, vel gladio, sed de abi-
gente partum poculo propinato, qui ut homicida
teneatur, id est pœna capitali afficitur, ut expresse
cavetur in l. 1. tit. 3. lib. 6. legum Wisigoth. ibi: *Qui
mulieri prægnanti poculum dederit ad necandum
infantem, vel ad faciendum abortum, occidatur.* Et
l. 8. tit. de los homicidios, part. 7. Nec obstat aug-
mentum*

mentum primum ipsius difficultatis, nam licet propriè homicidium non detur cum poculum sterilitatis tantùm propinatur ut concipi, aut generari soboles non possit; tamen juxta rationes supra adductas tale scelus tanquam homicidium vindicatur, quia latè homicidium dicitur à Tertuliano, & Minutio supra: & D. Hieronymus ait *epist. 22. ibi: Aliquis sterilitatem prohibere, & necdum facti hominis homicidium facere.* Nec obstat, quod qui simile poculum dedit, irregularis non manet, ut probant Suarez. *de censur. disput. 44. sect. 2. numer. 13.* Gibalinus *de irregul. cap. 4. part. 4. cons. 2. sect. 2.* Nam licet qui tale poculum sterilitatis dedit, ut homicida in præfenti textu damnetur, non tamen eisdem pœnis ac homicida plectitur, ut constat ex diversis canonibus supra pro illustratione conclusionis adductis: & ita irregularis non manet, quia talis pœna nullo canone expressa est. Et licet Sixtus V. eam statuisset, tamen novâ constitutione Gregorij XIII. cum pœnis tantùm juris communis poculum propinantes puniantur, & inter pœnas jure communi statutas non reperitur irregularitas, ideo neque ex novo jure irregularitas contrahitur ex propinatione poculi sterilitatis: unde audiendus est Gibalinus, qui *disto cons. 2.* asseruit, præfentem canonem esse Concilij Provincialis, & idèd in eo Patres legem universalem condere non posse; nam cum textus hic, etsi Concilij Provincialis, compilatus reperitur in hoc volumine Decretalium à Gregorio IX. approbato, hæsitari nequit quin pro lege universali habeatur.

9.
Respon-
deitur
ultime
difficul-
tati.

Difficilius est quod ultimo loco pro augmento dubitandi rationis expendebamus, propter Consultorum responsa sibi contraria, siquidem Marcianus *in l. 4. ff. de extraordin. crimin.* ab actionem partus extraordinarium crimen esse dixit, & exilio temporali vindicandum: cum Ulpianus *in l. si mulierem 8. ff. ad leg. Cornel. de sicariis*, inter publica delicta retulerit, exilioque perpetuo puniendum censuerit; quæ pœna olim fuit legis Cornelie de sicariis, *l. 3. §. penult. ff. eod. titulo.* Pro cuius difficultatis solutione communiter discrimen constitui solet inter casum, in quo abortus contingit circa factum jam animatum, aut circa non animatum; ita ut primo casu crimen capitale sit, & lege Cornelia vindicetur: secundo verò casu extraordinarium, & ita extra ordinem puniatur. Ita docuerunt Gomez *lib. 3. variar. cap. 3. num. 12.* Farinac. *in praxi. quest. 122. num. 134.* Covarr. *lib. 2. var. cap. 20. num. 10.* & in Clement. *si furiosus*, 2. part. §. 3. Duarenus *ad tit. de extraordin. crimin. cap. 2.* Cujac. *lib. 19. obs. cap. 9.* Ant. Matthæus *de crimin. ad tit. de extraordin. crimin. cap. 1.* pluribus relatis D. Melchior de Valentia *tom. 3. illustr. tract. de liber. & posthum. cap. 1. num. 9.* pro quorum sententia faciunt textus *in cap. 21. Exodi, vers. 22.* ibi: *Si rixati fuerint viri, & percusserint mulierem prægnantem, exieritque fetus ejus, siquidem informis, multam multabitur percussor; si verò jam formatus, dabit animam pro anima.* Quem textum ita accepit D. Augustin. relatus *in cap. Moyses 32. quest. 2.* & textum *in l. si quis 38. §. qui abortionis, ff. de pœnis*, ubi ait Consultus: *Qui abortionis, aut amatorium poculum dant, etsi dolo non faciant; tamen quia mali exempli res est, humiliores in metalum, honestiores in insulam amissa parte bonorum relegantur: quod si eo mulier, aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur.* In quo responso tametsi verbum homo, plerique referant ad eum,

cui poculum præbitum est, ut fecit Valentia *dist. cap. 1. num. 7.* alii tamen referunt, id non tantùm ad eos, quibus pocula amoris, aut abortionis præbentur, sed & ad factum, qui jam homo erat, cum abigeretur. Ita Ant. Matthæus *dist. cap. 1. numer. 2.* Sed licet hæc communis distinctio multis, magnisque Auctoribus placuerit, & commodissima videatur ad conciliandum textum *in d. l. 4. ff. de extraordin. crimin.* cum dicta lege *8. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* tamen subtiliter, & eruditè D. Ioannes Ramos *de pœna parricidii lib. 7. num. 46.* ut diffidentia Consultorum responsa circa factus exponat, discrimen constituit inter Stoicos, & Peripateticos Philosophos, Consultoque eorum diversam scholam sectantes. Stoicorum enim opinio fuit factum, dum in utero est, non esse hominem, aut animal, sed partem matris, & portionem viscerum ejus, sicut fructus pendens, pars arboris est. Seneca *epist. unic.* appellavit factum *maternorum viscerum latens onus* Quintilianus *declamat. 338.* dixit *partem viscerum matris.* Faciunt Plutarchus *lib. 5. de placitis Philosoph. cap. 15.* Alexander Aphrodisius *lib. de anima cap. 20.* Galenus *lib. de his. Philosoph. Lactantius de mundi opificio cap. 16.* Unde Ulpianus, Paulus, Papinianus, Marcellus, qui Stoicorum scholam sectati fuerint, censerunt, factum non esse hominem, animalve: quare Papinianus *in l. in lege 9. ff. ad leg. Falcid.* dixit, partum nondum editum hominem non rectè fuisse: & Marcellus *in l. 2. ff. de mortuo inferendo*, factum esse ait spem animantis, nec qui eum interimat, propriè hominem occidisse. Et Pomponius *in l. ult. ff. de assignand. libert.* non esse in rerum natura asseruit. Et Ulpianus *in l. 1. §. 1. ff. de ventre inspiciendo*, scripsit factum partem matris esse, nec antea credi cognatum, quàm nascatur. Et *in l. 1. §. si quis proximior, ff. unde cognati*, factum in rebus humanis non esse supponit: & *in l. sed si plures 10. §. 1. ff. de vulgari, l. ubicunque 7. ff. de ventre in possess. mittend. l. generatiter 24. §. servo 4. ff. de fideicommiss. libert. l. nomen 164. ff. de V. S. l. penult. ff. de his, que pro non script. l. si quis 7. §. de fructibus 3. ff. de except. rei judic.* Iuxta quam sententiam idem Ulpianus censuit, posthumo tutorem non rectè dari, *si nemo 19. §. ult. ff. de test. tut. & ætatem hominis à die natali computari docuit in l. denique 3. §. minore, ff. de minor. l. quæ atate ff. qui testamenta facere*, & muliere prægnante in nave accepta, si postea peperit, pro filio vêturam non deberi respondit *in l. sed ades 19. §. si quis mulierem 7. ff. locati*; ideoque ancillæ furtivæ partum usucapi non posse, contra Scævola docuit *in l. qui vas 48. §. ancilla, ff. de furtis, junctis l. non solum 33. l. justo 44. §. 2. ff. de usucap. l. ancilla 90. ff. de furtis, l. qui in utero 26. ff. de statu homin. l. si ancillam 4. ff. pro suo, l. qui ob portionem 9. l. servus 10. ff. pro emptore, l. 3. Cod. eod.* & juxta eandem scholam Paulus docuit, petita ancillæ petitem censerit partum, *in l. Paulus 14. l. partum, ff. de usur.* & ancillæ prægnante pignoratâ, pignori datum censerit partum, idem docuit *in l. si convenit 78. §. si fundus 2. ff. de pignoratia, junctis l. & quemadmodum. l. fideiussor 26. §. ult. l. Paulus 29. §. 1. ff. de pignor. l. 1. Cod. de partu pignor.* & ita servo in utero existenti libertatem relinquere non posse, docuit *lib. 4. sentent. tit. 14. l. cum inter. Cod. de fideicommiss. libert.* & partum in potestate patris mortis non fuisse innuit *iple in l. ult. ff. de collat. bonor. l. ult. ff. de assignand. libert.* & ita factus

foetus patri ad excusationem tutelae non prodest, lib. 2. §. qui autem 6. ff. de excusat. tutor. Et licet plerumque in jure foetus comparetur filiis jam natis, l. 2. §. qui autem, ff. de excusat. tutor. l. intelligendus 53. ff. de V. S. l. qui in utero 7. §. 26. ff. de statu hominum, l. si quis 187. ff. de R. l. tamen id juris fictione, vel Prætoriana æquitate effici satis innuunt illa verba: *Intelligitur, videri quodammodo;* quibus utuntur Consulti in l. si cui 18. ff. quando dies legati. l. intelligendus 153. ff. de V. S. l. vel si vivi 707. ff. de suis & legit. l. si quis 187. ff. de R. l. Juxta hanc ergo Stoicorum sententiam matrem partum abigentem non pœnâ ordinariâ homicidii, sed extraordinariâ puniendam esse. Consulti ipsi docuerunt in dist. l. 4. l. 3. §. 2. ff. ad leg. Corn. de sicar. l. Divus 4. ff. de extraordin. cognit. l. si quis 38. §. qui abortivus ff. de pœnis. Philosophi verò qui contrâ sentiebant, consequenter existimant, in eo verum homicidium dari, ut probant Galenus ubi supra Aristotel. lib. 2. de histor. animal. Plato apud Plutarchum lib. de placit. Philosoph. 5. cap. 25. & qui juxta eorum scholam crediderunt partum adhuc in utero latentem animal esse, docuerunt abortum procurantem pœnâ ordinariâ homicidii puniri. Philo de specialibus legibus, Josephus lib. 4. antiquit. cap. 8. Athenagoras in Apologet. prope finem, Tertul. & Minut. Felix supra relati. Unde cum Ecclesia semper crediderit foetum animatum verè hominem esse. cap. nasci. 50. dist. cap. si ad matris 114. de consecr. dist. 4. quia ad essentiam hominis duo principaliter exiguntur, corpus videlicet, & anima, cap. in quadam, de celebrat. missar. Clem. 1. de summa Trinit. ideo in præfenti, & in aliis canonibus supra congestis, abortus, ut verum homicidium vindicatur. Nec pro Stoicorum sententia facit textus in cap. qui in maternis, de consecr. dist. 4. in illis verbis: *Qui in maternis uteris est, baptizari non potest, quia qui non est natus secundum Adam, non potest secundum Christum renasci.* Ex quibus deduci videtur, foetum adhuc post animationem hominem non esse; cujus interpretationem dedi in cap. majores 3. de baptismo. Videndus post Lipsium, & neotericos Retes in selectione ad l. Arminiam, sect. 4.

10. Ex supra traditis exponendus est textus in l. Ci-

cero 39. ff. de pœnis, ubi Triphoninus, qui Stoicorum sectator fuit, ut probat D. Joannes Ramos dist. lib. 7. num. 130. refert Mileciam quandam mulierem cum esset in Asia, eo quod ab hæredibus secundis acceptâ pecuniâ partum sibi medicamentis ipsa abegisset, rei capitalis esse damnatam: ex quo textu deduci videtur, etiam juxta Stoicorum sententiam abortum pœnis ordinariis homicidii puniri. Ant. Matthæus dist. cap. 1. num. 2. docet quod cum legibus, non verò exemplis judicandum sit, parum attendi debet casus ille à Triphonino relatus, qui in Asia contigit: verum juxta traditam distinctionem rectius textum illum accipit D. Joan. Ramos dist. lib. 7. num. 205. juxta sententiam Philoporthum; nam cum casus ille contigisset Mileti apud Athenienses, ut refert Cicero in oratione pro Cluentio, & probat Pancirola lib. 2. variar. cap. 51. & Mileti non Stoicorum sententia obtinisset, ut Romæ, sed potius juxta communem scholam sapientium receptum esset, foetum in utero existentem, hominem animalque esse; ita verum homicidium dari rectè pronunciatum fuit Mileti, quod erat Colonia Atheniensium. Ammianus Marcel. lib. 22. ibi: *Atheniensium coloni Milej inter Jones alios in Asia per Nileum multò ante locati.* Terentius in Adel.

*M. Venit ut secum avehat,
Nam habitat Mileti. Æ. Hem
Virginem ut secum avehat!*

M. Sic est. Æ. Milerumque obsecro.

Strabo lib. 14. geograph. Ovidius lib. 9. Metamorph. rectè ait mulierem abortum facientem capitali pœnâ puniri, quia verè homicidium perpetravit. Nec interest, quod in ejus textus specie mulier pecuniam accepit, ut partum abigeret, ut notavit D. Joannes Ramos ubi supra, num. 194. contra eos, qui existimant, ob illius pecuniæ interventionem mulierem pœna capitali affectam fuisse. Quidam etiam existimabant, in prima parte ipsius textus ideo matrem pœna capitali puniri, quia pecuniam accepit ut partum abigeret, & ita assassinum committeret: in secunda verò non ita puniri, quia non quæstus causâ abortum procuravit.

CAPUT IV.

Alexander III. Bartholomeo² Exon. Episcopo.

Sicut dignum, & omni rationi consentaneum est, graves, & difficiles quaestiones ad examen Apostolicae Sedis deferri, ita etiam nobis ex ministerio susceptæ sollicitudinis imminet, easdem quaestiones, prout nobis Dominus dederit, solvere & singulis à nobis consilium postulantibus respondere, ut providentiâ Romanæ Ecclesiæ, quæ ubique terrarum obtinet, disponente Domino, principatum, quaestiones solvantur, & removeatur in his ambiguitas singulorum de cordibus. Licet autem super quaestionibus, quas nobis discretio tua solvendas direxit, te non dubitamus providum, & circumspectum existere; cogimur tamen ex suscepto servitutis ministerio juxta discretionem, & providentiâ nostram tibi exinde respondere. Sanè cum vir literatus sis, & sapiens, & discretus in his, ac plurimum exercitatus, plenius nosti, quia in excessibus singulorum non solum qualitas delicti, & quantitas, sed ætas, & scientia, & sexus, atque conditio sunt attendenda. Quia non solum secundum qualitatem, & quantitatem facinoris, sed secundum ea, quæ prædiximus, & secundum locum, & tempus, quo delictum committitur, unicuique debet pœnitentia indici; cum sicut tu ipse non ignoras, idem excessus magis in uno, quàm in alio sit puniendus. Illi au-